

4783.

1352 Febr. 7.

Söderbärke.

Biskop Egisel i Västerås bevittnar en vid Söderbärkes kyrka ingången förlikning emellan Karl Ingebjörnsson och Ragnhild jämte hennes son Harald.

Orig. på perg. i Sv. Riksark.

Omnibus presens scriptum cernentibus frater Egislus, diuina miseracione episcopus Arosiensis, salutem in Domino sempiternam. Constare volumus vniuersis euidenter recognoscentes nos anno Domini m<sup>o</sup>ccc<sup>o</sup>l<sup>o</sup> secundo die martis proxima post Agate virginis apud ecclesiam Sudhirbærkiæ, dum visitacionis officium ibidem ageremus, concordie interfuisse facte inter Karolum Ingebyornason ex vna parte et Rangnildim et Haraldum, filium eius, parte ex altera in hunc modum, quod ipsa Rangnildis recognouit se ex parte neptis sue Ingeburgis, dicte dottir dottir, ab ipso Karolo Ingebyornason plenum precium et sufficiens raciocinium pro bonis suis tam mobilibus quam immobilibus sibi ab ipso Karolo adiudicatis prestito per ipsam iuramento secundum formam et tenorem litterarum iudicialium domini regis, prout se contentam et bene pacatam reddidit, integre subleuasse, ita quod memorata Rangnildis eundem Karolum suosque heredes pro se suisque heredibus et omnibus aliis qui de iure vel alio quouis modo conqueri possint in dictam concordiam seu conuencionem ab omni vltiori querimoniorum et mocionum infestacione liberos dimisit penitus et quittatos. Extunc eadem Rangnildis pro amicabili concordie composicione memorato Karolo litteram iudicialem, quam habuit, in nostra presencia et aliorum fidedignorum in communi placito beneuole recommisit. Vltorius sepe dicta Rangnildis eandem terram in Sudhirbopum predicto Karolo et suis heredibus pro competenti precio cum firmariis secundum leges terre dimisit possidendam. In cuius recognicionis testimonium sigillum nostrum vna cum sigillis reuerendorum dominorum virorum dominorum *Johannis*, prepositi in Byornaskogh et canonici Arosiensis, *Johannis* in Kulbek, *Thidekini Pætersson* et *Ingolphi Pætersson* presentibus est appensum. Actum et datum anno, die et loco supradictis.

På baksidan: Swderbod.

Remsorna efter fem sigill kvarhängaude.

Förut tryckt i Dipl. Dalekarl., nr 18 och 633.

4784.

1352 Febr. 8.

Strängnäs.

Konung Magnus' dom i jordatvist mellan Anund Finuidssons arfvingar och Vårfruberga kloster.

Orig. på perg. i Sv. Riksark.

Nos Magnus, Dei gracia *Swecie*, *Noruegie* et *Scanie* rex, mandamus vobis, heredibus domini Anundi Finuidzsson, quatenus bona in *Thraequisth* et *Byuxta*, que religiosa domina, domina abbatissa monasterii Montis beate virginis, de prefato domino Anundo pro bonis eiusdem monasterii in Horn permutacionis titulo conquisi-